

OPUSCULUM  
 PHILOSOPHIÆ NATURALIS METALLORVM

D. DIONYSII ZACHARII NOBILIS viri Philosophi Galli,

AD BENIGNVM LECTOREM.

**Q**UOT QVOT in hac arte diuina scripserunt olim docti, sapientes viri, naturalesque Philosophi profanationem, vel diuulgationem eius arcani vetuerunt. Nihilominus amice Lector cum satis considerassem interpretationes contradictionum, figurarum, comparationum, equiuocationum, ac variorum enigmatum passim in ipsorum scriptis occurrentium, absque numero, celatum esse nolui, quicquid (post multos inutilesque labores, atque prolixissimos, circa sophisticationum recepta, deceptoriam potius dixerim opera prorsum inepta) per imaginationes veras, ex proborum libris resolverim continuis lectionibus approbatissimorum auctorum, velut Geberi in sua Summa, & aliorum. Pedem itaque retrahens ab erroneis vijs, quibus implicitus fueram antea magis quam Dædalus in suo labyrintho, in semitam rectam figere volui, qua gradiens tandem cognoui veram & perfectam materiam, a natura nobis in cauernis terre preparatam, ad perficiendam supra terram, qua sub ista generat ipsa metalla naturaliter, quemadmodum experientia (Dea miserente) me docuit, ut hoc libello declarabo clarius, quam unquam fieri valeat. In cuius prima parte narrabo modum & progressum, quibus perueni tandem ad veram huius operis diuini cognitionem.